QUAESTIONES ACADEMIAE LITURGICAE ROMANAE

XII.

DE OFFICIO SOLEMNI DE REQUIE EXTRA DIES PRIVILEGIATOS.

Parochus Augustinus imperiturum voluit grati animi monumentum relinquere erga Carolum insignem benefactorem suum. Hinc statuit, fecitque ea de causa legatum, ut quotannis, die quantum fieri posset 4 Novembris, quamvis neque obitus neque depositionis dies esset, solemne defunctorum officium cum Missa celebraretur, una cum Absolutione ad tumulum. Quod solemne officium, et ipso Augustino vivente coeptum est fieri, et quidem cum omni externo apparatu solemniorique pompa, quam praegrandis Caroli imago super tumulum posita mirum in modum augebat. Aegre tamen id tulit quidam caeremoniarum magister, sustinens, testatores pro se quidem posse, haud vero pro aliis anniversaria fundare : quod si faciant, nisi ab obitu haec sint vel a depositionis die, pro veris anniversariis non esse illa computanda. Quam tamen animadversionem Augustinus negligens, a multis iam annis ea die dictum officium defunctorum solemne agit. In quo ipse, uti Parochus, super cotta stolam induit et pluviale ; et in sacrarium cum ministris re-

versus pro Missa, iubet ei qui supplet, ut psalmum *De profundis* omittat pro consuetudine illic vigente, et quia officium solemniter agitur. Expleto officio, Missam de more solemnem facit cum unica Oratione, ut in anniversario: quamvis die 4 Novembris, uti notum est, festum S. Caroli sub duplici ritu illic recolatur, ut in universa Ecclesia. *Quaeritur:*

1. *An cuique liceat, non solum pro se, sed et in aliorum favorem pia legata facere, quod pertinet anniversaria defunctorum, adeo ut haec anniversaria quocumque die fundata, iisdem ac illa privilegiis gaudeant?*

2. *Infra octavam Commemorationis omnium fidelium defunctorum licet ne Missas solemnes aut cum cantu agere? Quid antiquum ius, quid recens decernat?*

3. *Quandonam vi Rubricarum et consuetudinis psalmum* De profundis *post Laudes, uti* **Lauda** *post Vesperas defunctorum, omittere liceat? Et quid de ratione solemnitatis, quam Augustinus allegat?*

4. *Quid de stola et pluviali, quibus indutus Augustinus Parochus officium agit?*

SOLUTIO.

Ex dissertatione Rev. Dom. Aloisii Marinelli, Pontif. Seminarii Pii Alumni, habita in S. Aede Congregationis Missionis prope Curiam Innocentianam, die 11 Iulii 1900;

acta Epitome per R.mum Dom. Carolum Respighi Apostolicarum Caeremoniarum Magistrum.

I. An cuique liceat, non solum pro se, sed et in aliorum favorem pia legata facere, quod pertinet anniversaria defunctorum, adeo ut haec anniversaria quocumque die fundata, iisdem ac illa privilegiis gaudeant ?

Huiuscemodi dubio facimus satis sequentibus propositis animadversionibus. Vox *Anniversarium* recursum innuit annuum alicuius cuiuscumque facti. Cum in casu nostro de anniversariis agatur defunctorum, recursus intelligitur annuus diei obitus defuncti, aut illius depositionis. Verumtamen quae lata sunt a S. Sede ad hanc annuam memoriam rite recolendam Decreta, aliquantulum vocis anniversarii significationem immutaverunt. Vi generalis Decreti quod ante Rubricarum reformationem, initio Missalis legebatur, sub anniversarii appellatione intelligebantur « Anniversaria et Missae cantatae de Requie relictae ex dispositione testatorum quotannis in die ipsorum obitus ». Hunc ab initio sensum S. Liturgia nomini anniversarii tribuit. Die 4 Maii 1686, Decretum prodiit, non tamen in nova authentica Collectione relatum, quo privilegium, de quo nuper, extensum fuit etiam ad anniversaria, quae non cadunt die praecise obitus testatoris. Hoc Decretum non exulavit ex praefata Collectione eo quod non amplius vigore polleat, sed quia per alia provisum est Decreta. In illo ergo non dicitur Missa cantari debere in suffragium testatoris : ut exinde commentatores arguant, quod, etiam cum testator legatum instituit in favorem alterius personae defunctae, anniversarium hoc iisdem semper gaudeat privilegiis. Cavalerius, in commentariis ad hoc Decretum, concludit, quod, sicut illud nullimode loquitur de necessitate Missam cantandi in testatoris suffragium, ita *nostrum non est gratiam limitare*. Nunc

Commentatores ceteri concordes in hoc sunt, quod possit aliquod anniversarium statui etiam in alterius favorem, quod ex recentioribus Decretis confirmatur, uti mox videbimus. Neque cogitandum est, agi hic tantum de anniversariis fundatis pro die in quo vere obitus illius defuncti recurrit, ut videtur opinatus fuisse Magister caeremoniarum, in casu ; Decretum enim loquitur de Missis quotidianis cum cantu, et vocabulum « quotidiana », subintelligere dat, non esse hic sermonem de solis veris Anniversariis ab obitu. Haec porro Anniversaria, dummodo legatum existat, mediatum saltem, quod ea constituat, iisdem fruuntur privilegiis. Opponitur tamen, absolute et semper necessarium esse, ut Anniversarium suis privilegiis gaudeat, quod legatum habeatur cuiuscumque testatoris. Hinc conclude, nequaquam privilegiatum esse posse. Anniversarium a persona vivente quacumque, extra diem vere obitus electum, quamvis intentionem habeat illud uti legatum post mortem relinquendi, sed omnino necesse est ut, aut diem vere anniversariam a morte sui benevisi defuncti eligat, aut statim legatum fixum realiter instituat quamcumque diem eligendo. Illo quippe in casu, Anniversarium dirigendum est iuxta normam a Decreto 19 Iunii 1700 **(2059)** traditam, qua celebrari valet Missa cum cantu, etiam duplici occurrente, « dummodo sermo sit de die vere anniversaria a die obitus », aut etiam expetatur infra octavam omnium defunctorum, iuxta Decretum 2 Decembris 1891, **(3753)** hoc tamen in casu, nisi ritus duplici minori potior sit.

II. Inquiritur secundo loco : Infra octavam Commemorationis omnium fidelium defunctorum licet ne Missas solemnes aut cum cantu agere ? Quid antiquum ius, quid recens decernat ?

Iuxta antiquum ius liturgicum prohibebantur octavaria pro Defunctis, et praecipue infra Octavam omnium Sanctorum, absque speciali Apostolicae Se-

dis privilegio. Hoc plane eruitur ex Decreto diei 13 Augusti 1667 ; unde Missae pro Defunctis, quantumvis solemnes, celebrari nequibant hac Octava perdurante, sed iis tantum diebus, quibus Rubricae permittebant Missas privatas de requie (Cfr. Decret. d. d. *22 Iulii 1848*). Nullum insuper extabat privilegium, sive quoad Cappellas sepulcreti, sive quoad Ecclesias coemeteriorum principales, nisi forte peculiare, et non extendendum de loco ad locum.

Iuxta recens vero ius, quod fuit sancitum Decreto diei 2 Decembris 1891, iam citato, sub n. V, ex speciali gratia permittitur « ut in duplicibus minoribus celebrari quoque possint anniversaria, quamvis a die obitus non sint, quae a Religiosis Communitatibus, a Canonicorum Collegiis, a Confraternitatibus aut ab aliis quibuscumque piis Sodalitatibus, pro Confratribus defunctis, semel in anno, fieri solent ; nec non illa, quae pro fidelium pietate *infra octavam omnium fidelium defunctorum* locum habent, exceptis diebus supra memoratis ». His videlicet (N. I) : « duplicibus I.ae et II.ae classis, in Dominicis et Festis de praecepto, infra Octavas Nativitatis Domini, Epiphaniae, Paschae, Pentecostes et SS.mi Corporis Christi, nec non feria IV Cinerum, maiori Hebdomada, in Vigiliis Nativitatis et Pentecostes ; sicut et tempore expositionis solemnis SS. Eucharistiae . in respectivis Ecclesiis tantum ».

Quod vero respicit Ecclesiam seu Oratorium publicum coemeteriorum, atque quamlibet Cappellam sepulcreti erectas seu erigendas, ex Decretis nuper a S. Rituum Congregatione emanatis, uno sub die 19 Maii 1896, ratificato et confirmato a SS.mo D. N. Leone Pp. XIII die 8 proxime insequentis Iunii **(3903),** conceditur, « Missas, quae inibi (in quolibet Sacello Sepulcreti) celebrari permittuntur posse esse de Requie, diebus non impeditis a Festo duplici Iae vel IIae classis, a Dominicis aliisque festis de

praecepto servandis, nec non a Feriis, Vigiliis Octavisque privilegiatis ». Altero vero, dato in *Romana*, die 12 Ianuarii 1897, ad 1^um^, dubio sic exposito : « Privilegium circa Missas lectas de Requie, ex praefato Decreto concessum Sacellis sepulcreti, favet ne sive Ecclesiae vel Oratorio publico ac principali ipsius sepulcreti ; sive aliis Ecclesiis vel Cappellis, extra coemeterium, subter quos ad legitimam distantiam alicuius defuncti cadaver quiescit ? » responsum fuit : « Ad 1^um^ Affirmative, ad primam partem: Negative, ad secundam ». Scilicet, concludentes, in Ecclesia, Oratorio publico et privato Sacello in coemeterio existente, privilegium Missae de requie, etiam infra octavam defunctorum, extendendum est ad dies in quibus quoque occurrat festum duplicis maioris ritus.

III. Quandonam, vi Rubricarum et consuetudinis psalmum *De profundis* post Laudes, uti *Lauda* post Vesperas defunctorum, omittere liceat ? Et quid de ratione solemnitatis, quam Augustinus allegat ?

Quod respicit Rubricarum praescriptum, cl. De Herdt ait : « Psalmis, *Lauda anima* in Vesperis et *De profundis* in Laudibus non dicuntur *(a)* in commemoratione fidelium defunctorum, neque in die obitus seu depositionis, corpore praesente, etiamsi unum tantum nocturnum dicatur ; *(b)* aliis autem diebus, etiam in diebus tertio, septimo, trigesimo et anniversario semper dicendi sunt, sive unum sive tria nocturna recitentur, sive officium ritu duplici sive simplici fiat. *(c)* Item verisimiliter in exequiis corpore absente recitandi sunt, quia Rituale Romanum illos tantum omittendos praescribit in exequiis corpore praesente, non autem ubi agit de exequiis corpore absente : *(d)* sicuti etiam dicendi sunt in die, qua, post notitiam de obitu alicuius, pro eodem officium recitatur. *(e)* Pariter dicendi sunt in die, qua a Regularibus fit commemoratio defunctorum Ordinis, nisi

speciale habeatur privilegium ». Verumtamen animadvertendum, circa *(a)* et *(b)*, ita etiam nunc rem se habere, fundatur quippe assertio in Rubricis Breviarii et Ritualis Rom., nec non in Decretis S. R. Congregationis, datis diebus 23 Iunii 1736, n. **2319**, in *Einsiedlen*, ad 24, et 9 Maii 1739, n. **4085**, in una *Ordinis Eremitarum Camaldulensium*, ad 1. Circa autem *(c)*, non posse hodie absolute dici, in *exequiis* corpore absente recitandos esse ; quia accidit interdum ut debeat novum teneri ius, quo corpus *absens physice*, censetur tamen *praesens moraliter*. Exequias, quae fiunt post acceptum nuntium obitus, *fere* aequiparandas esse illis, quae fiunt corpore moraliter praesente, idcirco e nova Collectione exulavit Decretum ab Auctore *(d) citatum, 27 Martii 1779 ad 1*. Alia porro de causa Decreta. a cl. Auctore *(e)* citata, 28 Augusti 1728 ; 14 Maii 1803, ad 6 ; 26 Martii 1859, ad 3, expuncta e nova authentica Collectione fuerunt, quia nempe *peremptorie* praecipiebant recitandos esse. in casu, praefatos psalmos, dum novum ius, uti videbimus, consuetudinem contrariam admittit. Haec ex Decretis Rubricas explanantibus.

Attamen, quod respicit Ecclesiarum consuetudinem, respondendum est, recens Sacram Rituum Congregationem antiquum vigorem moderatam fuisse, et in eius favorem stetisse. Id fecit Dubium hoc resolvendo : « Dubium III. Utrum probetur usus, qui pluribus in Ecclesiis etiam Urbis obtinet, omittendi Psalmi *Lauda* ad Vesperas et *De profundis* ad Laudes in Officio Defunctorum (etsi cum uno tantum Nocturno) sub ritu duplici recitato ? — Ad III. Affirmative (*Resolutionis dubiorum*, n. **4029**, die 9 Iunii 1899) ».

Hinc Parochus, in casu, *vi allegatae consuetudinis*, psalmum *De profundis* omitti posse optime censuit, cum ageretur de Officio solemniter acto, nempe sub ritu duplici respondente, quod facere nequivisset *vi Rubricarum*.

IV. Quid de stola et pluviali, quibus indutus Augustinus Parochus officium agit ?

Reponimus breviter, relativa Decreta ex authentica Collectione transcribentes, potuisse Augustinum Stolam et Pluviale induere in Officio mortuorum solemniter acto. Et sane, S. R. Cong.tio die 12 Augusti 1854, in *Briocen.* n. **3029,** ad 4 et 5 haec habet: « IV. Num Parochus pro deferendo cadavere in Ecclesiam possit accipere stolam et pluviale nigri coloris ? Item num in exequiis, Sacerdos qui stolam vel etiam pluviale nigri coloris assumpserit pro deferendo cadavere in Ecclesiam, possit stolam vel pluviale nigri coloris retinere ad canendum Nocturnum Officii mortuorum, aut Vesperas mortuorum, si in casu necessitatis exequiae vespere fiant, et Vesperae immediate cantentur ? V. Num in die III, VII, XXX et anniversaria ceterisque aliis diebus, Sacerdos assumere possit stolam et pluviale ab initio Officii mortuorum quod cantatur ante Missam ? Ad 4. et 5, *Posse* ».

Quod item in *Briocen.* confirmat sub die 21 Iulii 1855, ad 1^um^, n. **3035** « 1. In Parochiis Ruralibus, quum defunctus decessit in domo, longiori distantia, ut saepe fit, una et aliquando altera leuca, separata ab Ecclesia, in qua Exequiae peragendae sunt, cadaver curriculo ad portam principalem huius Ecclesiae adducitur ; ibique Parochus recitare solet Preces, quae iuxta Rituale Romanum sunt recitandae in domo defuncti, si proximior sit, antequam cadaver deferatur. Quaeritur :

a) Num hoc in casu Parochus induere possit albam loco superpellicei, ut mos est, si immediate post Officium Mortuorum, quod ipse Parochus facit, Missam sit celebraturus ?

b) Num super albam aut superpelliceum, si Alba non utitur, inducere possit stolam nigri coloris una cum pluviali eiusdem coloris ? Ratio dubitandi

est, quia fert Rituale Romanum : Stolam nigram vel etiam pluviale eiusdem coloris. — Ad 1. Quoad primam quaestionem, *Negative ;* quoad secundam, *Affirmative* ».

Notandum tandem, circa imaginem defuncti super tumulum positam S. Rituum Congregationem, die 30 Aprilis 1896, in *Senogallien.*, rescripsisse his terminis : « An in feretro vel tumulo, dum pro aliquo defuncto exequiae fiunt, tam praesente quam absente cadavere, exponi valeat eiusdem defuncti imago ? Et quatenus Negative, an saltem tolerari possit huiusmodi usus, ubi viget ?

Et Sacra Rituum Congregatio, referente Secretario, exquisita sententia Commissionis Liturgicae reque accurate perpensa, rescribendum censuit :

Negative, quoad primam partem; quoad alteram: Curandum ut eliminetur abusus ».

DUBIORUM LITURGICORUM SOLUTIO

I. *E Gallipoli.* **De iure benedicendi fontem baptismalem in Ecclesia Capitulari, curam animarum non habente.** Quaeritur, cuinam competat ius benedicendi fontem baptismalem in Ecclesia Capitulari, in qua est Parochus, cui sua iura inhaerent, quae ad Capitulum non pertinent.

Resp. Dubium propositum supponit, Ecclesiam, de qua agitur, non habere curam animarum : adeo ut Parochus in ea existens, nullam a Capitulo habeat dependentiam, eamque animarum curam sibi tantum competere. Quaestio itaque ad hoc reducitur, an benedictio fontis in sabbato sancto, vel in vigilia Pentecostes, sit ex functionibus

ad Capitulum pertinentibus, an ad Parochum. Super quo animadvertimus, benedictionem fontis fieri non posse extra Missam, uti constat ex peculiaribus Rubricis Missalis, atque ex Decretis. Sufficiat referre Decretum in *Pinerolien.* quod inquirit : « An Episcopus debet prohibere morem nonnullorum parochorum in sabbato sancto et in vigilia Pentecostes baptismalem fontem benedicendi, quin Missam per se ipsos celebrent ? » Idem quoque declarandum petit circa benedictionem candelarum, cinerum et palmarum. Responsio autem est : « Iuxta alias Decreta non licere, et benedictiones, de quibus in precibus, peragendas esse per Celebrantem *(1 Sept. 1838, n.* **2783** *(4838) ad 1 et 2)* ». Iam nunc cui competit eam Missam celebrare, eaque praecipue de causa ut fontem benedicat ? Primo competit Episcopo, dicit enim Caeremoniale : « Si Episcopus voluerit ipsemet benedicere fontem, quod valde convenit, etc. ». Inde prosequitur : « Si vero non potuerit Episcopus id praestare, destinabit aliquem ex dignioribus Capituli etc. *(Lib. II. Cap. 27, n. 16 et 17)* ». Sed opponi fortasse posset, Codicem non supponere alium Sacerdotem curam animarum habentem. At non ita se rem habere Decretum *Senogallien.* aperte declarat in controversiis, quae exortae fuerunt inter Canonicos Ecclesiae Collegiatae S. Petri Terrae Corinaldi, et Iosephum Pandolfi mansionarium et Curatum eiusdem Ecclesiae. Ad Dubium enim quintum dicti Decreti quaeritur : « An et cui, absente Archipresbytero, competat benedictio fontis baptismalis in die Sabbati Sancti ? » Et responsum est : Competere Dignitati, seu Canonico Celebranti *(20 Nov. 1749, n.* **2416** *(4207) ad 5)* ». Ubi vides, legem negligere Curatum, et Canonico celebranti id iuris tribuere. Cum itaque ius celebrandi eo die, uti et in vigilia Pentecostes, in Cathedralibus Ecclesiis, Episcopo competat, eoque absente, Digniori Canonico, iam patet, Curato ius benedicendi fontis non posse tribui.

Ceterum Decreta plura S. R. Cong.nis per summa capita in ultima Collectione authentica in Decreto Gen. resumpta, explicite docent benedictionem fontis esse functionem episcopalem, cui peragendae, Episcopo impedito, nullus alius, nisi dignior ex Capitulo succedere debet. En eiusmodi Gen. Decreti textualia verba : « Functiones vero episcopales.... Dignioribus *(maioribus scilicet Capituli Dignitatibus)* committendas, eas esse, quas Episcopus in Cathedrali, si praesens esset, ipse perageret ac celebraret, ut sunt, praeter Officia et Missas pontificaliter ab Episcopo celebrari solitas, iuxta Caeremoniale Episcop. Lib. II, Cap. I, et XXXIV, Processio SS.mi Sacramenti sive in huius solemnitate vel octava, sive in Oratione XL Horarum, Benedictiones Candelarum, Cinerum, Palmarum **et Fontis** (dummodo eadem Dignitas solemnem Missam agat), Ablutio pedum feria V in coena Domini etc. *(Functionum Episcopalium, 9 Iul. 1895, III n.* **3865***)* ».

Porro dicere functionem episcopalem est dicere functionem capitularem, quatenus Episcopus eam peragit ut primus Capituli superior, eique Canonicorum Collegium tenetur assistere. Hinc plenissimo iure Caeremoniale Episc. et Decreta exigunt, ut absente Episcopo, aliquis ex Canonicis succedat in functionibus, quae illi competunt, celebrandis ; imo, ut non quicumque ex Canonicis, sed Dignior succedat, agitur enim de supplendo Episcopo.

Cum itaque Parochus uti talis, ad Capitulum non pertineat, neque ad eum potest functio capitularis spectare. Non est ergo de iure Parochi benedicere fontem, sed de iure Capituli : ut sive sit, sive non, penes ipsum Capitulum cura animarum, nihil intersit; et vel Episcopo vel Digniori ex Capitulo semper competat benedicere fontem.

II. *E Vico.* **De modo ordinandi Calendarium in Ecclesia parochiali.** Quomodo ordinandum sit Calendarium in Ecclesia parochiali, quae perpetuo Calendario non gaudet,

aut etiam in Oratorio publico, inspecta celebratione Titularis, de quo inibi agendum est iuxta recens Decretum?

Resp. « In quibusvis Ecclesiis publicisque Oratoriis, vel consecratis vel saltem solemniter benedictis, relativum Titularis festum quotannis esse recolendum sub ritu duplici primae classis cum octava » docet Decretum Generale **4025**, ad I. d. d. 5 Iun. 1899. Ergo die, qua in Martyrologio Romano Sanctus inscribitur qui est Titularis alicuius Ecclesiae vel publici Oratorii, de eo agendum est sub praefato ritu a clero relativo, vel a Parocho aut Rectore illius. Festum autem, quod dicta die in Calendario inscriptum est Dioecesis, ad quam Ecclesia vel Oratorium pertinet, semel pro semper, seu perpetuo transferendum est in primam diem liberam iuxta Rubricas. Ad hoc autem nulla requiritur facultas S. R. Cong.nis, cum translatio facienda sit ad normam Rubricarum; sed sufficit, ut id sciat, approbetque Episcopus, qui ceterum ex superallata ratione nec translationi praefatae se posset opponere.

Calendarium autem, ad quod tenentur Ecclesia parochialis et Oratorium publicum, est Calendarium Dioecesis, nisi forte proprio gaudeant. Unde sequitur, illud esse sequendum et non aliud, sine speciali privilegio aut facultate S. R. Cong.nis. Non ergo festum a Titulari impeditum reponi debet aut potest in aliam diem a libera, quamvis ea dies esset ut in die propria; quia haec dies in Calendario sequendo impedita est.

Equidem ex hac agendi ratione accidere potest, ut festum quod prius celebrari deberet altero, celebretur postea; sed nihil interest, cum incommodum vitari nequeat, quin Calendarium dioecesis plus minusve perturbetur, quod maius incommodum fert. Decretum autem Gen. **3811** haec habet: « Cum nihilominus perpetuum alicuius Ecclesiae Calendarium reformari contingat, serventur, si adfuerint, ordo ritus, ratio primarii, excellentia dignitatis, ac prio-

ritas translationis, (*21 Nov. 1893 ad IV*) ». Neque dicas, in casu nostro non haberi perpetuum Ecclesiae Calendarium ; stat enim semper eadem agendi ratio, sicut in novis, quae conceduntur, Officiis, ita in diebus Titularibus assignandis.

III. *E Velika Kopanica.* **De die octava festi primarii non impedita a duplici maiori secundario.** In Ecclesia B. sub titulo SS.mi Nominis Mariae, dies octava dicti Tituli et Festum Sept. Dolorum eiusdem B. Virginis simul occurrunt : de quo festo agendum, de die octava Nativitatis, an de festo Sept. Dolorum ? Directorium vertentis anni habet : *Die 15 Sept. post Nonam Octava cessat*, profecto ob superveniens festum Sept. Dolorum. Quid ?

Resp. Notam Rubricam ponimus *De Translatione festorum*, Tit. X, n. 2, in qua dicitur, festum tantum praevalere diei octavae in occursu, si sit ex maioribus, nempe aut I aut II classis, haud vero si tantum duplex maius sit. In casu autem nostro habemus diem octavam SS. Nominis Mariae, et dupl. mai. eiusdem personae ; ergo dies octava non potest cedere Festo Sept. Dolorum. Quod confirmatur ex tabella Occurrentiae, quae, occurrentibus die octava et duplici maiori, remittit ad num. 2, ubi legitur : *Officium de primo* seu de die octava, et *Translatio de secundo*, hoc est de dup. maiori. Arroges ne posse quidem in casu fieri quaestionem de die octava festi secundarii, quia Festum SS. Nominis Mariae, utpote Titularis, uti primarium habendum est. Quamvis haec quaestio supervacanea foret ; quia cum lex generalis sit diem octavam praevalere in occursu duplici maiori, quaevis distinctio reiicienda est : ut dies octava, sit de primario, sit de secundario festo, duplici maiori cuicumque tam secundario quam primario semper praevalere debeat. Hoc autem iure merito disponunt Rubricae, sive quia dies octava transla-

tionem non suffert, sive quia est festi complementum, ut quantum fieri possit, omitti non debeat.

Notandum denique, Decretum Gen. recentius, n. 3851, disponere, festum Sept. Dolorum impediri, in translatione, a die octava. Atqui si festum impeditur in translatione a die octava, a fortiori impediri debet in die propria. Nunquam enim accidit ut festum aliquod esse possit magis in die translata privilegiatum, quam in die propria. Hac ergo quoque de causa dies octava SS. Nominis Mariae praevalere debet festo Sept. Dolorum: ut consequenter de illa fieri debeat, istud autem transferendum sit, uti praefatum Decretum explicite exigit.

Rebus ita se habentibus, manifeste Directorium erravit dicens: *Octava cessat*, cum debuisset ponere officium de die octava, et translationem de festo Sept. Dolorum.

IV. *Ex eod. loco.* **De Initio Scripturae currentis impedito et anticipato**. Feria 6 post Octavam Ascensionis D.ni, seu die 1. Iunii huius anni, in festo translato B. M. V. sub titulo Auxilii Christianorum dupl. maiori e die 27 Maii, in nostro directorio ponuntur LL. I. N. Incipit ep. 3 b. Ioannis Apost. Die 29 Maii in festo S. Gregorii VII Pp. C. dupl. LL. I. N. sunt Incipit ep. 2 b. Ioannis Apost. e feria crastina, quia feria crastina celebratur festum Inventionis Manus dexterae S. Stephani Reg. C. (dupl. maius). Rectene ?

Resp. Negative, quantum arguere licet. Quaestio ad hoc reducitur: Quando ob festa duplicia potiora non potest Initium Scripturae habere locum die sua, neque congruenter postea, anticipari praescribitur, et ideo die 29 Maii, in quo agitur festum S. Gregorii VII, Director Calendarii posuit lectiones I. Noct. (dup. min.) *Incipit Ep. 2 b. Io. Ap.* quia crastina die agitur festum dup. maius, nempe Manus dexterae S. Stephani C., quod Initium habere non poterat, iuxta privilegium antiquum. At die 1

Iunii (dup. mai.) aliud notat Initium Director Calendarii, nempe *Incip. Ep. 3 b. Io. Ap.*, cum tamen hac die recolatur translatum festum Deiparae, sub titulo *Auxilium Christianorum*. Verum inquirimus: quando Initium aliquod ponendum ex necessitate est in duplici maiori, licet proprias habeat lectiones vel de communi, quae omittendae sunt; nonne inter duo duplicia maiora seligendum est illud, quod aut secundarium est prae primario, aut quod minoris est dignitatis, si utrumque primarium sit vel secundarium? In casu autem habemus duo duplicia maiora, Inventionem Manus dexterae S. Stephani, et Auxilium Christianorum, quae secundaria sunt. Utri ergo magis conveniebant lectiones propriae, ut in eo non poneretur Initium? Nonne S. Stephano? Quare ergo positum est Initium in festo Deiparae? En, ni fallimur, quod postulat adm. Rev. Consulens, an recte factum sit: ut proinde respondere iterum cogamur, Directorium esse mendosum. Nec potest opponi, festum Inventionis esse fortasse magis proprium; quia haec ratio vim habet tantum quando cetera sunt paria, quod non comprobatur in casu. Itaque Initium Epist. 2 S. Io. Ap. ponendum erat quidem die 29 Maii, sed alterum Initium, nempe Ep. 3, ponendum die 30 dicti mensis, hoc est in festo Inventionis, non vero in festo Auxilii Christianorum. Hoc quidem, supponentes impeditam diem 27 (vig. Ascen.) in qua optime reponi posset *Initium*, uti in Calendario Rom. an. 1901 legere est.

V. *E Viterbio.* **De sepultura in parietibus Ecclesiae.** Quaeritur utrum liceat sepelire cadavera, uti in Cappellis gentilitiis, ita in Ecclesiis, non quidem subtus terram, sed intra parietes, ita etiam ut altera superponatur alterae tumbae in loculis separatis, ad id constructis, prouti in catacumbis assuevit fieri.

Resp. Consuevisse christianos in antiquitate defunctos sepelire, non quidem in Ecclesiis, sed in atrio, in porticu,

aut in Ecclesiae exedra, communiter Archaeologorum doctrina est. Hinc Rituale Rom. docet. « Ubi viget antiqua consuetudo sepeliendi mortuos in coemeteriis, retineatur; et ubi fieri potest, restituatur *(Tit. VI, Cap. 1, n. 10)* ». Alia successu temporis invecta consuetudo fuit, ut cadavera in Ecclesiis sepelirentur: quae impraesenti, ex lege civili, paulatim cessat.

Ratio qua moti fideles in Ecclesiis sepeliri peroptare potuerunt, est indubie, praeter loci sanctitatem, ut suffragiorum, et etiam divinorum officiorum participes fierent, et ut amici et propinqui ad orandum pro illis moverentur. Huiusmodi autem finis aeque obtinetur, sive subtus terram, sive in parietibus cadavera sepeliantur. Unum nihilominus semper omni cura vitandum, ut cadavera subtus altaria, nec prope ea sepeliantur, adeo ut metro circiter uno ab altaribus distare debeant.

Notandum nihilominus est, quod Rituale advertit *(loc. cit.)*, videlicet: « cui locus sepulturae dabitur in Ecclesia, **humi tantum detur** ». Haec autem dispositio arcere profecto intendit gravia incommoda enormesque abusus, qui olim invaluerant. Notat enim Baruffaldus: « In antiquis templis reperiebantur tumuli atque urnae marmoreae super terram existentes, ad parietes elevatae, et etiam altari contiguae, nec non superpositae, loco baldachini, quibusdam altaribus, adeo ut templa magnopere impedirentur, ut humanam superbiam ad sidera usque extollerent *(Tit. XXXIV n. 99)*.» Ea propter Constitutio **Cum primum** S. Pii V, quae prodiit Calendis Aprilis an. 1566, statuit: « Ut in Ecclesiis nihil indecens relinquatur, iidem *(Ordinarii)* provideant, ut capsae omnes et deposita, seu alia cadaverum conditoria super terram existentia, omnino amoveantur, prout alias statutum fuit, et defunctorum corpora in tumbis profundis infra terram collocentur ». Hinc Concilium provinciale I. Sancti Caroli statuebat: « Non

est ferenda nostri temporis insolentia sepulchrorum, in quibus foetida cadavera, tamquam sacrorum corporum reliquiae, excelso et ornato loco, in Ecclesiis collocantur, circumque arma et vexilla, trophaea, et alia victoriae signa et monumenta suspenduntur, ut iam non divina templa, sed castra bellica esse videantur. Ambitiosam igitur hanc in mortuorum corporibus decorandis arrogantiam detestantes, et Ecclesiarum decori consulentes, eiusmodi sepultura excelso loco posita, et ea quae parietibus inclusa vel adiuncta etiam in una parietum parte eminent, nisi marmorea aut aerea sint, sive illis corpora contegantur, sive inania, et ibi tantum honoris causa sint constituta, et eorum omnis generis ornatum et apparatum, ad tres menses amoveri ac tolli omnino iubemus, ossaque ac cineres in sacro loco, altius in terram defodi, ita conditos ut sepulcrum e solo non emineat ».

Haec satis sint, ut doctrina Ritualis illustretur, et ut norma ab eo tradita aequo sensu intellecta servetur. Sensus est autem, ut corpora sepulta nulla circumornentur pompa, nulloque externo apparatu, lapide ad summum posito, ut recordantium suffragiis defuncti anima adiuvetur. Sub hac proinde conditione tantum, censemus affirmative responderi posse proposito dubio: adeo ut eadem e sepulchro in parietibus clauso modestia spiret, quae in sepulchris subtus terram positis spirare debet.

BREVIORA RESPONSA

I. *Pro Calari in Sardinia.* Insequenti anno 1901, die 20 Febr. qua Cineres occurrunt, Vesperae quidem erunt de sequenti, at prima com. non erit de feria; sed de fe-

sto Ss. Fundatorum simplificato; quia feria non concurrit, et ritus sequendus est.

II. *Pro Lannes in Gallia.* 1. Velit cl. Orator, precamur, indicis vulgationem expectare; sive quia omnia ac singula Decreta, eorumque dispositiones recordari, nobis satis difficile est, tempus aliunde ad novae Collectionis paginas evolvendas nobis non est, sive etiam quia nos diximus quod faciendum erat; at, absolute loquendo, haud semper id solet fieri quod statutum est. Hoc pro nunc, non aliud respondere possumus.

2. Quoad alterum reponimus: Volumen V. Collectionis certe sub praelo est, et plura iam folia sunt edita; at non alia Decreta, sed Indicem continebit, simulque aliquas vel interpretationes vel declarationes, fortasse etiam aliquam emendationem, cum de humanis agatur actibus.

3. Alia editio Caeremonialis Episc. non est nobis, quam anni 1886: si alia post hanc vulgata fuerit, nescimus; certum est tamen, etsi prodierit, praefatae nonnisi plane conformem esse posse.

III. *Pro Hollandia.* 1. Decretum, de quo agitur, ad III, fortasse expunctum fuit, quia lectiones II ac III Nocturni ex praecepto desumendas iubet ex Octavario Romano, propriis deficientibus. Octavarium autem inservire in casu posse concedimus, eo utendum esse negari potest. Ceterum cum Rubrica hac in re servatur, quid amplius desiderari potest? Aliunde ex iis, quae pro lectore benevolo ultimae Collectioni praemittuntur, constat, Decreta antiquae Collectionis, quae nec Rubricis opponuntur, nec Decretis in nova Collectione contentis, adhuc vigere.

2. Haec ad rem habet A Carpo, ex Gavanto desumpta, ut tuto pede teneri possint: « Ubi hodie (*28 Ian.*) recitatur officium de octava S. Agnetis, omnia leguntur ut in festo, excepta antiphona ad *Magnificat* in primis Vesperis, Oratione et Missa, quae sunt S. Agnetis secundo.

Lectiones I Nocturni sunt de Scriptura occurr. In secundo prima est propria, ut in Breviario hac ipsa die, duae reliquae de Communi Virg. 2 loco, in tertio sumantur ex Communi nec Virg. nec Mart. ut Homilia concordet cum Evangelio Missae. *Conf.* Gav Sect. 7, cap. 3 (*V. Calend. Perp. Adnot. ad 28 Ian. n. III)* ».

IV. 1. *Pro Turonibus.* 1. Decretum 4042 non destruit certe, sed supponit distinctionem inter simplicia *per se* et simplicia *per accidens*, uti bene consideranti patebit. Aliunde praedicta distinctio ex Rubrica Generali est.

2. Decretum 2503 ad 2, dicens commemorationem ad Laudes, pro infra octavam Confessoris non Pontificis, in festo alterius Confessoris non Pontificis, esse accipiendam e I. Vesperis, indubie servandum est, quia Rubricae respondet. Idem servandum in Suffragiis cum com. pro Suffragiis eadem est ac alia de festo; quia pro simplificato et pro infra octavam ad Laudes semper commemoratio e primis Vesperis est sumenda.

V. *Pro Massilia.* Servetur Decretum Gen. 3754 ad 2: quod solam exigit commemorationem Dominicae, eiusque Evangelium in fine, ubi Missae conventualis non adest obligatio, particulari Decreto relicto.

VI. 1. *Pro Vico.* Presbyter, qui adiuvat Parochum, etsi titulum Vicarii habeat, ut eius vices gerat in Ecclesia Paroeciae adnexa, non tenetur ad Calendarium Paroeciae sequendum, sed ad Calendarium dioecesis, in qua illa sita est. Neque enim Paroeciae, neque Ecclesiae adnexae est Rector, sed tantum coadiutor Parochi, ut aliqua Sacramenta ministret. Hoc quidem generice loquendo.

2. Formulae liturgicae non debent ad arbitrium mutari, sed uti sunt recitari debent: id et Responsorio *Libera me Domine* applicandum est. Insuper nulla pars Officii est abrumpenda, quae de praecepto est, ut aliquid recitetur,

quod extra Officium sit; Responsorium ergo post totum Officium recitabitur.

VII. *Pro Zagabria*. 1. Officium, quod uni Communitati locali conceditur, non potest ad aliam extendi. Si ergo Officium Apparitionis et Coronationis B. M. Virginis in Monte Sancto concessum fuit Conventui Castagnavizzae, non potest intelligi concessum alteri Communitati nunc in Sanctuario Montis Sancti existenti. In illo proinde Conventu potest, in hoc non potest celebrari. Ratio concessionis, seu proximitas Conventus Castagnavizzae ad Montem Sanctum non valet extensionem Officii demonstrare. Si ergo Communitas nunc in dicto Sanctuario existens dictum Officium velit recitare, petere illud debet: quod fieri potest per Litteras deprecatorias Summo Pontifici directas, in quibus exponetur historia praecedentis concessionis Officii, novae Communitatis existentia, et Officii ad hanc extensionis petitio.

2. Conventus ad B. M. Virginem Tersacti recitare debet Officium quod concessum est, Translationis Almae Domus Lauretanae; quia Officium petitum, concessum et acceptatum, evasit praeceptivum. Provincia S. Crucis teneretur etiam, *per se*, ex eadem ratione ad dictum Officium celebrandum. Cum tamen incorporata sit alteri Provinciae Ss. Cyrilli et Methodii, quae illud nec habet nec recitare potest, atque insuper principalis est cui altera minus principalis accedit, arbitramur illam dictum Officium amplius recitare *per accidens* non posse. Quia minus principalis tenetur se conformare in Calendario provinciae principali, ad quam non potest transire obligatio, qua illa tenebatur. Sequitur facultatem esse petendam a Summo Pontifice, eademque ratione, ut superius dictum est.

3. Indultum celebrandi festum Ss. Cyrilli et Methodii die 5 Iulii potest postulari, neque repugnat ut obtineatur.

Eapropter exponatur petitio eius que ratio, ut superius diximus de aliis.

4. Decreta certe servanda sunt, seu quod spectat Canonem, seu quod spectat Orationem in Missa, non vero consuetudines, quae, quotiescumque comprobentur iisdem Decretis oppositae, potiusquam consuetudines, dicendae sunt corruptelae.

DE PLURIUM DIVERSITATE COMMEMORATIONUM

EX EODEM COMMUNI DESUMPTARUM

ANIMADVERSIONES

Decretum recens *(n. 4042 ad V)*, plures supponens commemorationes ex eodem Communi sumendas statuit: « ultima vero, per primam antiphonam et ℣. ex 3 Nocturno » id pro Laudibus. Pro Vesperis autem decernit: « Tertia per primam antiphonam et ℣. 3 Nocturni ». Ephemerides nihilominus aliquid diversi docere videntur dicentes *(pag. 380 an. 1900, VIII)* pro Vesperis: Antiphona *(ultima)* sumatur illa quae est primi Nocturni, versiculi vero ex tertio Nocturno ad Laudes: » Pro Vesperis deinde aiunt: « Antiphona *(ultima)* sumatur illa quae est primi Nocturni, versiculi vero ex 3 Nocturno ». Hinc iure quaeritur: An iuxta mentem S. R. Cong.nis Antiphona ultima sumenda, in casu, esse debeat prima primi Nocturni, an prima tertii Nocturni? *Iure*, diximus id quaeritur; quia nonnulli sunt, qui verba Decreti « per primam antiphonam et ℣. 3 Nocturni » explicant pro antiphona prima primi No-

cturni, et versum 3 Nocturni; alii vero intelligunt eadem verba pro antiphona prima 3 Nocturni, et versu eiusdem Nocturni.

Antequam quaesito proposito reponamus, placet nobis super hoc argumento fuse disserere, ut opportune et commode valeamus et Rubricas seu Generales seu speciales perpendere, et quae Decreta declarant, uti quae pluries Ephemerides dixere, ad examen revocare. His, ni fallimur, perpensis atque inter se collatis, ad propositam petitionem responsio facile profluet.

Rubricae Generales, quae de variatione verba faciunt normasque pro ea agenda assignant, aperte dicunt, variandas esse antiphonas et versus, quando plures ex eodem Communi eaedem antiphonae sumendae sunt. Quaenam autem hae normae sunt? Aut agitur de simplici, vel etiam de simplificato cui esse nequit com. in secundis Vesperis: aut agitur de simplificato in utrisque Vesperis commemorationem habente. In prima duplici hypothesi, com. ad Vesperas sumenda e Laudibus; in Laudibus sumenda e primis Vesperis. In altera hypothesi, ad primas Vesperas sumenda e secundis Vesperis: ad Laudes sumenda e primis Vesperis: ad secundas Vesperas sumatur e Laudibus. Hoc autem in ultimo casu, versus e primis Vesperis accipiendus est, dum in aliis singulis inde sumendus, unde sumitur antiphona. Haec Rubricarum summa quod commemorationum versuumque attinet variationem.

Nunc quaerendum: Quaenam variationis ratio, seu in antiphonis, seu in Vesperis? Nullus peritorum ignorat, rationem unicam esse evitationem iterationis eiusdem antiphonae eiusdemque versus. Ergo, iam patet illatio, spiritus, sicut et littera Rubricarum, est ut evitetur eiusdem antiphonae ac versus repetitio. Animadvertendum est tamen, ipsam Rubricarum litteram quandoque negligi, dummodo servetur spiritus. Hinc in primis Vesperis S. Pauli

I Eremitae (15 Ian.) singulare habes exemplum Rubricae specialis. Post commemorationem enim diei, quae est « Similabo eum », primo fieri debet com. praecedentis (S. Hilarii C. P. D.) videlicet « O Doctor optime » cum versu relativo, nempe « Iustum deduxit »; et nihilominus Rubrica specialis signat « Elegit eum Dominus », qui respondet II Nocturno de Communi Conf. Pont. Ratio est unica, ut nempe, versus proprius dictae antiphonae relinquatur commemorationi Simplicis, hoc est S. Mauri Ab. Quod profecto factum est, ne pro commemoratione S. Abbatis ex uno loco sumeretur antiphona, ex alio autem versus.

Aliud habes exemplum ad Laudes in festo S. Caroli C. P., ubi pro commemoratione Ss. Martyrum Vitalis et Agricolae notat Rubrica antiphonam « Vestri Capilli » : versus autem, cum dici nequeat proprius « Exultabunt », quippe qui inservit pro commemoratione Omnium Sanctorum, non desumitur e primis Vesperis « Laetamini in Domino », sed e II. Nocturno de Communi Martyrum, hoc est « Exultent iusti ». Equidem dices, relatos casus exceptionem constituere; neque aliquid in oppositum profecto sustinendum. Nihilo tamen minus fatendum est, ipsas exceptiones non in solo arbitrio legislatoris esse reponendas, sed in ipso legis spiritu, qui recedit a littera, sed legis finem attingit.

Eapropter iam ab anno 1896, cum Rubricae antiquum retinebant adhuc textum, Doct. Piacenza merito notabat legis spiritui inhaerendum magis quam litterae, cum de commemorationibus ageret festi ad instar simplicis redacti (*V. Ephem. 1896, pag. 568, n. 318*) : neque tam quod versus attinebat, quam quod attinebat commemorationes; et Rubricae per Decretum d.d. 11 Dec. 1897 legem ipsam conformem reddere spiritui sategerunt. Verum Rubricae etiam recenter emendatae, haud omnes potuerunt, uti de

lege quacumque comprobatur, casus attingere. Propter quod eae loquuntur, praeter duas commemorationes officiorum concurrentium ad Vesperas, de una tantum, quae in Breviario comprobatur, simplicis *per se*, vel simplicis *per accidens*. Quid vero agendum, si non unum tantum in Vesperis habeatur simplex per accidens commemorandum, sed plura, uti alicubi evenire potest? En Decretum supplens, de quo ab initio diximus; sed en quoque *Ephemerides Liturgicae*, quae cum eodem Decreto concordare non videntur, cum aliquid ab illo diversi doceant. Negotium itaque perpendamus, et videamus quid iudicandum.

Notandum imprimis, qualis esse debeat, post concurrentes in Vesperis, vel occurrentes in Laudibus, prima simplicis vel simplificati commemoratio, certum est ex Rubrica et Decreto super citato. Quales vero esse debeant reliquae argumentum inter peritos est discrepantiae: ut alii cum aliis non conveniant. Ex. gr. Redactor Calendarii Romani, cui sine laesione veritatis denegari nequit peritia Rubricarum Decretorumque, sequenti modo censebat faciendas esse commemorationes:

AD VESPERAS

(Pro Mart. Simplici, aut Simplificato II^{dis} Vesperis destituto)

1. Com. «Iste Sanctus». ℣. «Gloria et honore».
2. Com. «Qui odit». ℣. «Iustus ut palma».
3. Com. «Qui vult venire» ℣. «Posuisti Domine».
4. Com. «Iustus Dominus». ℣. «Magna est gloria eius».

(E III Noct.)

(Pro Mart. Simplificato utrasque Vesperis habente)

1. Com. «Iste Sanctus». ℣. «Gloria et honore».
2. Com. «Qui vult venire». ℣. «Iustus ut palma».
3. Com. «Iustus Dominus» ℣. «Magna est gloria eius».
4. Com. «Qui odit». ℣. «Posusti Domine».

(E. III Noct.)

AD LAUDES

(Pro eod. Mart. Simplici vel Simplificato)

1. Com. «Qui odit». ℣. «Iustus ut palma».
2. Com. «Iste Sanctus». ℣. «Gloria et honore».
3. Com. «Qui vult venire». ℣. «Posuisti Domine».
4. Com. «Iustus Dominus» ℣. «Magna est gloria eius».

(E III Noct.)

Quo in commemorationum ordine notanda est dispositio 3ae et 4ae antiphonae pro simplificato cum relativo versu; habes enim antiphonam III Nocturni cum relativo versu, tertio loco positam, et non quarto. Dum ex adverso pro simplici eadem antiphona cum versu, non tertio, sed quarto loco ponitur. Qua de causa? Ne eadem antiphona idemque versus quae dicta sunt ad Vesperas, repetantur ad Laudes pro eodem Sancto. En itaque servatus spiritus, non vero litera Decreti in una Urbis ad V, quamquam iste modus agendi anterior eodem Decreto fuerit.

Ephemerides autem Decreto praedicto in omnibus adhaeserunt, excepta antiphona ultima pro secundis Vesperis, quae sumenda iuxta illas esset e I Nocturno, dum versum e III Nocturno sumendum dicant. Nunc quaerimus: Singulae ne commemorationes istae ordinatae esse debent, an inordinatae esse possunt? Certe, ad primum reponendum est affirmative, ad alterum negative. Iam nunc ordo iste postulat, ut non per saltum seligantur antiphonae, sed per ordinem; hinc in Vesperis prima de I Vesperis, secunda de II Vesperis, tertia de Laudibus. Ergo quaenam esse deberet quarta, nisi prima de I Nocturno? Item ad Laudes, prima de Laudibus, secunda de I Vesperis, tertia de II Vesperis; quaenam ergo quarta, nisi prima de I Nocturno? Ita, profecto, ordo commemorationum postulat. Et hoc docuerunt Ephemerides.

Verumtamen animadvertendum est, Rubricam exigere

ut, quantum fieri possit, versus relativus inde sumatur, unde sumpta est antiphona: secus, aliunde; ordinatim tamen. Iam nunc I.us Nocturnus habet versum, qui ad iam dictos pertinet, idemque dicas de II.do Nocturno: adeo ut versus nondum dictus habeatur tantum ex III. Nocturno, quem proinde fas est sumere, relictis aliis. En autem ratio discrepantiae inter Ephemerides et Decretum *Urbis*. En earum ratiocinatio: ordo postulat, ut antiphona dicenda, post alias de primis, de secundis Vesperis et de Laudibus, illa sit quae I.mi Nocturni est; ergo ea dicatur. Sed versum, qui dici possit, Nocturnus I.mus non habet, neque II.us; ergo, cum sumi ex eo nequeat, sumatur alius qui sumi potest, id est III.tii Nocturni. Re quidem in se spectata, ratiocinatio optima, nihilque illi potest opponi.

At Decretum *Urbis* ad V exurgit, quod diversae ratiocinationi videtur innixum, nempe: Quare antiphona ex I. Nocturno sumenda est, si in finibus mundi, seu in III Nocturno, versus sit accipiendus? Rubrica et ratio commodi magis expediens postulant, ut antiphona et versus ex eodem loco sumantur; ergo, cum versus sumi nequeat, unde sumpta est antiphona, sumatur saltem antiphona, unde sumere versum necesse est. En Rubricae spiritus, non tamen litera, cui Decretum *Urbis* conforme est.

At dices: hoc agendi modo Decretum non sequitur ordinem, cum antiphonam primi Nocturni relinquat, imo et alteram secundi, ut tertii Nocturni antiphonam accipiat: quem ordinem tamen apprime secutae sunt Ephemerides. Reponimus: Decretum sapienter reliquisse antiphonam primi Nocturni; quia de eodem Nocturno sumptus iam fuerat versus, qui idem est ac versus primarum Vesperarum. Sapienter quoque reliquisse dicimus antiphonam secundi Nocturni, quia de eo iam sumptus erat versus pro alia praecedenti commemoratione. Si autem alterutram Decretum praescripsisset, semper versus sumendus

fuisset aliunde, et Rubricam non implevisset dicentem, inde versum sumendum unde antiphona sumpta est. Eapropter, re penitius considerata, consultius iudicavit et commodius, ut tam antiphona quam versus ex eodem Nocturno sumeretur foret, aliumque ordinem iure merito tenuit.

Quid igitur concludendum? Arbitramur unumquemque in suo sensu abundare potuisse, nec in proprio iudicandi modo spernendum, patet ex dictis. Nihilominus, re in praesenti inspecta, non est inficiandum Decreto prae particularibus opinionibus, licet per se probatione dignis, adhaerendum esse. Itaque, relictis omnibus, ipsisque Ephemeridibus, hac super re, dicendum est ordinem commemorationum, quem sequi tenentur omnes, esse sequentem:

Ad Vesperas: 1.ª de primis Vesperis: 2.ª de secundis Vesperis cum relativo earumdem versu: 3ª de Laudibus cum versu de secundo Nocturno: pro 4ta sumitur prima de tertio Nocturno cum versu eiusdem Nocturni. Ad Laudes: 1ª de Laudibus cum proprio versu: 2ª de primis Vesperis item cum suo versu: 3ª de secundis Vesperis, cum versu e secundo Nocturno: pro 4ta accipitur antiphona e tertio Nocturno, cum relativo eiusdem Nocturni versu, ut supra.

Post haec inquiri vix potest; num dicendi modus Decreti *Urbis* circa 4am antiphonam et Versum, ita possit intelligi, ut 4ta antiphona esse possit primi Nocturni, versus vero e tertio Nocturno? Sed reponimus: Negative ex rationibus mox allatis; cum ceterum dictio simpliciter intellecta praefatum sensum habere non valeat, uti rem probe perpendenti patebit.

ANIMADVERSIONES

de colore vestium Reliquias gestantium

In numero 5 vertentis anni diximus *(pag. 299 et 300 in nota)*, colorem paramentorum in Reliquias gestantibus pro Ecclesiae consecratione, esse album. *a*) Eiusmodi enim est color in consecratione Ecclesiae. *b*) Processio Reliquiarum est actus, qui expletur in ipsa consecratione. *c*) Reliquiae sunt quidem Martyrum praecipue sed, et Confessorum esse inter illas optime possunt. *d*) Aliunde Pontificale de rubeo colore silet.

Nuper solemniori cum pompa nova consecrata est Ecclesia Urbis in Monte Aventino, adnexa percelebri Monasterio Benedictinorum, quod Munificentissimus Pontifex Leo XIII a fundamentis recens erexit. Ecclesia ista merito dici posset ab ipso Summo Pontifice dedicata, quippe qui Emum Cardinalem Rampolla legatum a latere pro ea dedicanda misit. Iam nunc Reliquiarum feretrum tulerunt quatuor Sacerdotes paramentis rubris induti. Expleta functione, alter ex Caeremoniarum apostolicarum magistris compellatus est a quodam, qui censura notavit colorem rubrum in Reliquiarum processione, et quidem Ephemeridum sententiae innixus. Post haec, discussio nos inter et praefatum Rmum caeremoniarum magistrum secuta est: qui profecto caeremoniis singulis persolvendae functionis apprime studuerat. Discussionis conclusiones referimus, ut aliis caeremoniarum magistris pro casu simili inserviant, quamvis plus quam albo, rubeo colori, contra notam, quam edidimus, omnino faveant.

Itaque 1. Sacerdotes, ait cl. Fornici (*Inst. Tit. Cap. XV*), «qui feretrum sacrarum Reliquiarum gestant, sacris vestibus induti albi vel rubei coloris, prout sanctis, quorum transferuntur Reliquiae, exposcunt». Equidem Reliquiae, in consecratione Ecclesiae, Confessorum adesse possunt, sed Martyrum debent. 2. Quamvis processio Reliquiarum, in casu, sit actus pertinens ad consecrationis Ecclesiae functionem, nihilominus Sacerdotes

Reliquias gestantes, processione expleta, recedunt: ut, cum unice pro illa parentur, conveniat omnino coloris rubei paramenta eos indui. 3. Cl. Martinucci (*Lib. VII 33*) docet : ut praeparentur, pro consecratione Ecclesiae, *quatuor planetae* **rubri coloris** *pro Presbyteris delaturis S. Reliquias.* 4. Haec est consuetudo Urbis in quavis Ecclesiae dedicatione. 5. Silentium Pontificalis hoc tantum significat, quod non supponat Presbyteros planetis indutos, sed tantum superpelliceo. Sed paulatim ad maiorem solemnitatem induere ceperunt casulas. Libentius hanc sententiam amplectimur, illamque relinquimus.

Quaestio Liturgico-Moralis solvenda.

Titius Sacerdos e Roma pergens in Galliam, apprime sciens, horologia gallica anticipare una quasi hora tempus comparative ad horologia italica, transfert recitationem Officii diei ad undecimam circiter horam noctis iuxta horologia gallica, dum interim iuxta horologia Urbis hora duodecima iam longe praeteriit. Satisfecit ne ?

De solemniis Beatificationis et Sanctificationis QUAESTIUNCULAE

Super Beatificationis et Canonizationis Solemniis plura nobis proposita fuerunt Dubia enucleanda ac resolvenda. Hucusque distulimus eorum tractationem, quod basis discussionis adhuc nobis perspicua satis non erat. In praesenti vero, re in omnibus fere partibus patefacta, illa di-

scutienda ac resolvenda aggredimur, potestate nihilominus lectoribus nostris relicta obiiciendi, quomodo et quando voluerint, super singulis solutionibus, quas proponentibus exibemus, cum legem nobis ferendi non inhaereat facultas, sed discutiendi, ratiocinandi, et conclusiones inferendi.

1. Itaque imprimis et ante omnia notum facimus, fundamentum resolutionum Dubiorum omnium, quae nobis fuere proposita, esse verba legis, quae continentur, seu in Brevibus Beatificationum, seu in Instructione apposita a S. R. C. nuper emanata *(24 Iul. 1899)* et a Summo Pontifice iisdem die et anno approbata. Extant quidem, hac super re, quaedam *Monita*, quae legi possunt in Opere Gavanti (*Tom. II. post Indicem*); sed vix illis uti nobis licet. *a)* Quia dicta Monita peculiariter edita fuere uti *observanda in Ecclesiis Ordinis Minorum S. Francisci Capuccinorum. b)* Praeterea legem dicta *Monita* constituere non valent, cum in fine dicatur: « Haec methodus, quae servata fuit, ex peritiorum in sacris Ritibus consilio, a Pp. Capuccinis in celebrandis Solemniis Beatificationis Servi Dei Iosephi a Leonissa, recenter sequuta in Sacrosancta Basilica Lateranensi,ubi publicatum fuit Diploma Clementis XII, **poterit iuvare pro Directione** aliorum Regularium, vel aliorum, quibus occurrat occasio celebrandi in propriis Ecclesiis similem solemnitatem alicuius servi Dei, noviter Beatorum fastis adscripti ». Hinc patet, praefata Monita vim legis habere nullam, cum ad directionem tantum inservire valeant. Iis nihilominus, quando opportunum iudicabimus, quod omni reverentia dignis, libenter utemur; sed legi inhaerere magis opportunum iudicamus, eamque certis principiis freti, quantum vires suppetunt, declarare et exponere.

2. Verba legis, quae ad rem nostram faciunt, quod Brevia attinet Beatificationum, sequentia sunt: «... Conce-

dimus, ut supradictis in templis ubique terrarum existentibus Solemnia Beatificationis Venerab. dict. Dei serv. celebrentur cum **Officio et Missis Duplicis maioris ritus**: quod quidem fieri praecipimus die per Ordinarium respective definienda intra primum annum postquam eadem Solemnia in Patriarchali nostra Vaticana Basilica celebrata fuerint ». Haec verba excerpsimus ex Brevi Beatificationis Ven. Servorum Dei Annamitarum et Sinensium; sed iisdem fere verbis in aliis Beatificationis Brevibus eadem Concessio exprimitur.

Instructio autem S. R. Cong.nis sequens est : « Haec triduana Solemnia consistunt in cultu et honoribus Altarium prima vice per tres dies continuos novo alicui Beato tribuendis. Huiusmodi cultus caeremoniae praecipuae *stricte liturgicae* sint oportet , quae nimirum Missam solemnem et etiam, si commode fieri possit, Vesperas solemnes complectantur. Permittuntur autem praeter illas et aliae functiones ecclesiasticae, uti preces quaedam cum interposita Oratione Dominica et Angelica Salutatione, Litaniae Lauretanae, necnon, praevio tamen consensu Ordinarii, solemnis Benedictio cum Sanctissimo Eucharistiae Sacramento.

Oratio panegyrica fiat inter *Missarum solemnia* post cantatum Evangelium, quae in casu habebitur velut Homilia; vel etiam sive ante sive post Vesperas recitari poterit. Tertia vero die non omittatur cantus solemnis *Te Deum* cum oratione solita *pro gratiarum actione.*

Haec dispositio, quae pariter in Octavarii Solemnibus occasione alicuius Canonizationis servanda est, a Sanctissimo Domino Nostro Leone Papa XIII in audientia diei 24 Iulii 1899 approbata fuit.

Datum ex Secretaria S. Rituum Congregationis, die 24 Iulii 1899 ».

C. Card. Mazzella, *Praefectus.*

D. Panici, *S. R. C. Secretarius.*

3. Priusquam Dubia resolvenda proponamus, viam illam sternere, qua nobis erit incedendum, necessarium arbitramur, seu principium, super quo resolutiones innitantur. Hinc quaerimus : Officium et Missae, de quibus lex verba facit, cuiusnam sunt generis ? seu : pertinentne ad praeceptivi, an vero ad votivi naturam ? Meminerint lectores, quaestionem istam in hisce Ephemeridibus alias fuisse relatam, saltem quod Missam attinent, seu anno 1892 in Conventu Academiae Liturgicae pertractatam (*Vid. Vol. 1892, pag. 90 et seq.*). At, sicut Academia, ita Ephemerides referentes, securam quaestionis solutionem nequaquam tradiderunt, scriptum enim legimus : « Huiusmodi Missam sive solemnem sive privatas, **esse potius vere festivas quam votivas**. » Conclusio autem sic se habet : « Ad primam ergo quod spectat praefatae petitionis partem **concludi posse videtur**, Missas omnes sive solemnem aut cum cantu, sive privatas, non votivas sed festivas esse. » Inde prosequuntur Ephemerides : « Cum nihilominus ab Officio quod recitatur, etiam in ipsa Ecclesia, ubi festum recolitur, saepe discordent, consequens est, ut festivae quidem sint, sed extra ordinem aliarum, quae sunt festivae ratione Officii, quocum conveniunt, pertineantque ad *festum sui generis*, et quodammodo extrinsecum. » Quinimo in fine notae huic conclusioni adiectae aperte legitur : « Non esse has Missas adeo certe festivas, ut omne de votivi natura dubium excludant. ».

4. Cum ergo adhuc sub iudice lis sit, an Missae huiusmodi, sicut et Officium, festivae sint, an votivae, ni fallimur, tempus est, ut quaestio impraesenti omni cum certitudine resolvatur. *a*) Quia de vera festivi, uti et votivi natura iam satis et perspicue alibi diseruimus, principia certa securaque sequuti, ex quibus indubias intulimus conclusiones (*V. Ephem. 1899, pag. 560 et seq.*). Conclusiones autem sunt, nec festivum, nec dominicale, nec feriale

opponi votivo, neque vicissim votivum illis opponi, sed quae sibi sunt opposita esse tantum praeceptivum et votivum : hoc certum est, reliqui conceptus hucusque traditi, hac super re, minus sunt exacti. Eapropter uti certa habenda sequentia sunt, quae alibi dicimus atque iterare hic cogimur. *b*) Quaevis Missa esse *per se* potest, aut praeceptiva aut votiva. *c*) Praeceptiva convenire debet cum integro Officio, et per Rubricas *per se* imponitur: votiva cum integro Officio *per se* non convenit, et a Rubricis non imponitur. *d*) Missa votiva, potest esse vel de festo vel de tempore : si sit de festo, appellabitur Missa votivo-festiva : si sit de Dominica vel de feria, appellabitur votiva de tempore. *e*) Missa cum integro Officio conveniens et per Rubricas praescripta est praeceptiva : Missa extra ordinem Officii et per Rubricas non praescripta est votiva.

5. His statutis, ad Dubia resolvenda devenimus. Primo quaeritur . An tempus ea Solemnia peragendi esse necessario debeat *triduum* pro Beatis, et *octiduum* pro Sanctis? An contrahi etiam possit, quod in minoribus Ecclesiis facilioris executionis est pro utrisque Solemnibus ad unum diem ?

Respondemus cum Benedicto XIV : « Iuxta Alexandrinum Decretum... initium solemnitatis in Beatificatione (*idem dicas de Canonizatione*) desumendum est a Basilica Principis Apostolorum; deinde vero **aliquando ex speciali gratia** concessum fuit, ut, peractis in illa Beatificationis Solemniis, primum Beatificationis festum fieret in aliqua determinata Ecclesia privative quoad alias (*De Beatific. et Canoniz. Sanct. Lib. I, Cap. XXIV, n. 14*). » Inferes, agi in casu de concessione speciali, non de re praeceptiva : item de uno festo agi, non de triduo festi. Hoc idem resultat ex Brevium Beatificationis verbis in quibus Summus Pontifex dicit : « Concedimus ut . . . Solemnia Beatificationis celebrentur cum Officio et Missis... die per Or-

dinarium... definienda... » Num autem per plures dies ea Solemnia sint celebranda, Brevia silent, ex iisque potius inferri posset unus tantum dies festus.

Cum nihilominus ex Romana iam invecta consuetudine pro Beatis ad tres dies, pro Sanctis ad octo dies Solemnia celebrentur, Instructio loquitur de triduanis et octiduanis Solemniis. Veruntamen ea non praecipit, sed tantum celebrari supponit, et in quo consistant praecipue, declarat. Cum ergo nec triduana pro Beatis, nec octiduana pro Sanctis Solemnia sint praescripta, nil vetat, quominus ea contrahi possint, si temporum locorumque adiuncta id exigant, ad unumque tantum diem redigi. Arroges, nil aliud erui posse, re apprime perpensa, ex superius tradita Instructione. Dicit enim haec, *triduana solemnia* consistere in *cultu et honoribus.... per tres dies continuos Beato tribuendis*. Sed an eadem triduana Solemnia ex praecepto celebrari debeant, id penitus silet; ergo toto iure ea permissa censenda sunt, nec Brevi contrarium aliquid dicere Instructionem tenendum est, sed omnino eidem Brevi cohaerentem esse.

6. Deinde inquiritur, an sola Missa intelligi debeat, in dictis Solemniis concessa, an plures vel omnes Missae?

Resp. Praenotandum, in dictis Solemniis Missam cantatam aliasque privatas esse vetitas, ex generali lege et ex praescriptionibus specialibus, quas S.R.C. dare quandoque solet in casu, quandocumque dup. I cl. occurrat. Sola vero Missa cantata permittitur in omnibus dup. II classis: quod pariter intelligendum de Dominicis I et II classis, quae Missam vel Missas excludunt, uti duplicia I et II classis, de quibus diximus. Quinimo iure merito addimus, non solum praefata duplicia ac Dominicas excludere Solemnia, de quibus agimus, sed etiam haec excludi per illas Octavas, Vigilias Feriasque, quae privilegio gaudent excludendi quodcumque duplex I classis. Ratio patet, si enim huius-

modi Solemnia a duplicibus I classis impediuntur, a fortiori debent impediri a dictis diebus, qui ipsamet dicta duplicia excludunt. Praeterea quantum scimus ita plus minusve negotium quamprimum dispositum iri a S. R. Cong.ne; ut consequenter, seu ex ratione, seu ex iure positivo sententia exhibita cohonestata maneat.

Hoc praenotato, respondemus, non Missam sed **Missas,** uti ex Brevi constat, esse indultas: ut nisi ritus aut classis qualitas eas impediat, permissae dicendae sint Missae tam cantata aut solemnis, quam privatae de Beato aut Sancto, cuius Solemnia celebrantur. Quod si Instructio nominet specialiter **Missam solemnem,** id tantum facit, quia eiusmodi Missa inter praecipuos actus cultus primatum habet, et omittenda non est. Haec ceterum consuetudo, in his Solemniis celebrandis, Ecclesiarum Urbis, auctoritate ecclesiastica videnti, tacente, interveniente et consequenter probante.

7. Quaeritur modo: Utrum ad Horas canonicas obligati *debeant* aut *possint*, triduo vel octiduo durante, Officium Beati vel Sancti recitare, translato Officio proprii Calendarii, vel commemorato, vel penitus pro hac vice suppresso?

Resp. Praecitata verba Brevium non aiunt: *Volumus, praecipimus* aut quid aliud simile, sed tantum: *Concedimus;* atqui haec verba non praeceptum significant, sed permissionem, consequentur non important obligationem, sed libertatem in agentibus. Instructio autem exigit tantum, ut caeremoniae cultus in casu sint praecipue liturgicae; hae autem complectuntur, ait, Missam solemnem, atque etiam Vesperas *si commode fieri possint.* Ex quibus patet, neque Instructionem circa Officium cuiusvis speciei praeceptum imponere. Hinc palam sequitur Officium in casu non esse praeceptivum, sed tantummodo votivum. Atqui cum Offfcio votivo nequit fieri satis Officio praeceptivo, per aliam, et quidem sub gravi, legem imposito.

Vix ergo locum invenit proposita petitio. Qui enim tenentur ad Horas canonicas, illud Officium recitare debent, quod in proprio seu relativo Calendario inscribitur, et quidem sub poena non satisfaciendi. propriae obligationi. Si ergo Officium de recenti Beato vel in toto vel jn parte, recitare aut canere velint, rem optimam agent, sed vero non omisso Officio de die, ad quod tenentur ex obligatione. **Possunt** ergo, citra dubium, sed non **debent**, triduo vel octiduo durante, Officium de Beato vel Sancto votivum recitare; sed intactum remanere fas est Calendarium Ecclesiarum quod Officia attinet dictis diebus occurrentia, quae recitari debent, non commemorari aut supprimi.

Equidem **Monita** volunt, ut prima Tridui vel Octidui die recitetur Officium de recenti Beato vel Sancto, cuius Solemnia aguntur: aliis autem diebus Officium occurrens cum commemoratione Beati vel Sancti. Hinc ea videntur admittere, per Officium Beati vel Sancti propriae obligationi fieri satis posse: secus ut quid prima die recitari, aliis diebus recitari non posse dicerent?

Verum et commissionem Liturgicam ad rem consuluimus, atque in ipsa Secretaria instructionem accepimus; et hoc solum concludere ex iis possumus, cum Officio Beati vel Sancti fieri satis non posse, neque prima die, relativo oneri recitandi Officium iuxta Calendarium. Ergo praefata Monita ad hoc quod pertinet non sunt attendenda.

8. Quid faciendum, quarto loco quaeritur, si initio vel decursu vel fine Tridui aut Octidui occurrat in Calendario festum I vel II cl. aut Dominica privilegiata? Quaenam Missa celebranda? Quaenam commemorationes agendae? Si de Beato vel Sancto Missa celebratur in Dominica, quodnam in fine Evangelium?

Resp. 1. Occurrente festo duplici I cl. aut eiusdem classis Dominica, diximus iam non fieri posse de Beato vel Sancto; sed, excepta solemnitate externa, Officium et

omnes Missae esse debent de festo I cl. aut de Dominica. Occurrente festo dup. II cl. aut Dominica eiusdem classis, diximus pariter, totum Officium et Missae omnes privatae esse debent de festo aut de Dominica occurrente; et sola de Beato aut Sancto cantari potest Missa. Ratio est, quia praefati dies non debent, ut etiam diximus, seligi ab Episcopo pro talibus Solemniis celebrandis; hinc et conceduntur sub ritu duplici maiori.

Hoc autem solum credimus significari posse per verba Brevis, *sub ritu duplici maiori*. Nam periti norunt, Missam tam privatam quam solemnem, sive ritus sit minor, sive maior, eamdem prorsus esse, nulloque pacto differre, ne in ipsis quidem commemorationibus. Aliunde, cum Missae eiusmodi sint votivae, frustra poneretur in Brevi qualitas ritus; cum Missa votiva, sub quocumque ritu celebretur, eadem semper sit, et commemorationes ferat vel non, prouti solemnis pro re gravi aut ad instar consideratur, vel sine solemnitate. Clausula ergo *maioris ritus* in casu hoc tantum significat, Ordinarios pro Solemniis celebrandis seligere non posse neque primae neque secundae classis duplicia, aut eiusdem classis Dominicas, vel alios dies, qui illa et istas impediunt.

Quid autem de die octava dicendum? Ea impedit ne Solemnia? Negative generice loquendo reponimus, quia dies octava uti duplex minus consideranda est; et quamvis ex privilegio, quod transferri nequeat, aliis duplicibus etiam maioribus in occursu praevaleat, nihilominus non valet haec Solemnia impedire, quae extra festa occurrentia sunt, et iuxta appositam, quae aliquando datur, Instructionem, a solis praefatis diebus excluduntur.

Resp. 2. Si Missa de Beato vel Sancto solemnis, aut etiam privatae, de eodem haberi nequeant, fieri debet saltem illius commemoratio in Missa festi vel Dominicae, vel feriae occurrentis, uti omnino rationabile iudicamus.

a) Quia festum, esto externum, de Beato vel Sancto agitur; ut illius com. omnino deceat. *b*) Dat normam Instructio Clementina, quae, impedita Missa de Sacramento, eius tamen exigit commemorationem, et quidem non ex alio quam ex superallato momento. *c*) Fere iisdem autem Missa de Sacramento impeditur diebus: ut sicut illa, ita ista de Solemniis, iure merito iisdem possit regulis subiacere.

Resp. 3. Quod alias attinet commemorationes in Missa de Solemniis, aliqua est difficultas, quam sequenti modo resolvimus. Missae huiusmodi de Beatificationis vel Sanctificationis Solemniis, certe praeceptivae, uti de Officio vidimus, appellari nequeunt; sicut enim Officium, ita et Missas *concedit*, permittit, videlicet, indulget Breve, sed nullo pacto praecipit; ergo praeceptivae esse non possunt. Rubricae insuper nullam cum his Missis relationem, ne a longe quidem dicunt. Ergo, iuxta principia exposita, praefatae Missae dicendae sunt quidem festivae, sed indubie votivae. Iam nunc Missae votivae, aut solemnes sunt et ad instar, saltem, pro publica Ecclesiae causa, aut privatae (inter quas et solemnes, pro re gravi exceptis, comprehenduntur). Si primum, nullam commemorationem patiuntur: si alterum, omnes commemorationes occurrentes exigunt. Constat illud, sicut et istud, ex Gen. Decreto 3922, num. II e 3, et III, aut IV: in quibus aperte docemur, Missam pro re gravi vel publica Ecclesiae causa unicam Orationem admittere, quod et Rubrica praedicat, reliquas vero non sic, sed plures exigere Orationes.

Quid ergo? Sunt ne pro re gravi, vel publica Ecclesiae causa? Ita credimus, sive de solemni agatur, sive de lectis. Secus, hoc sequeretur incommodum, dictas Missas, nec *Gloria* posse habere, nec *Credo* (*Decr. Gen. cit. n. II*, 3), quod in tanta solemnitate non esset tolerandum. Aliunde, cum de novo Beato agatur vel Sancto, iure teneri potest,

eas ex publica Ecclesia causa celebrari vel certe solemnissime ; Ecclesia enim tribuit caelituum honores Beato vel Sancto pro prima vice.

Quod si dicas, id transire posse pro Missa solemni, non vero pro privatis, reponimus, id sustineri vix posse. Una enim Missa *Gloria* et *Credo* gauderet, non reliquas, cum de eodem sint Sancto vel Beato; et aliunde solemnitatem maximam in his Solemniis Ecclesia explicet: ut utrumque iis competere dicendum sit. Sicut ergo Missa primae feriae, quae de Sacratissimo Iesu Corde indulgetur in I hebdomada cuiusvis mensis, licet privata, pro causa publica censetur, et *Gloria* fert et *Credo*; ita hae pariter quae de Solemniis aguntur, utrumque admittunt. Haec sententia nostra, quam tamen certam esse sustinere nequimus, sed recto sensui magis cohaerentem credimus.

Quod denique spectat Evangelium in fine si de Beato vel Sancto Missa dicatur in Dominica communi, nota lex est, Missam quamcumque votivam aliud numquam ferre Evangelium in fine, nisi S. Ioannis ; ergo id quoque servandum erit in casu, cum de Missis votivis, festivis licet, agatur, quae sunt omnino extra ordinem Officii occurrentis

9. Quaeritur quinto, si pars Officii cantatur, dum sacras Episcopus vestes induit, puta Tertiam vel Nonam, vel pomeridiano tempore si canantur Vesperae, de quo hae Horae canendae? Ex dictis responsio patet, ut vix in ea immorandum sit. Aut enim Missa solemnis de Beato vel Sancto agitur, et Hora minor de eodem erit: aut de die, et de eadem die Hora minor cantabitur. Notandum tamen, posito Missam solemnem, uti et privatas de Beato vel Sancto, uti certum est, esse votivas, non Tertiam sed Nonam esse canendam: ratio unicuique patet.

Quod vero Vesperas attinet, semper de Solemniis agi eae possunt, cum quibus tamen obligationi non fit satis, votivae enim sunt: quod et de Hora minori intelligendum, si canatur de iisdem Solemniis. Diebus vero impeditis, si

cani debea Tertia, de die erit, non de Solemniis, cum pertinere debeat ad festum occurrens. Ceterum Tertia vel Nona festo, de quo Missa solemnis agitur, fas est respondeat, ne veluti musivum opus efformes.

10. Sexto et ultimo tandem loco quaeritur, quid proprie per caeremonias *stricte liturgicas* intelligi debeat, de quibus Instructio? Num deficiente Missa solemni, aliae caeremoniae in illa expositae haberi possint, v. g. preces in communi, Litaniae lauretanae, Benedictio cum Sacramento singulis diebus Tridui vel Octavarii, et expositio Reliquiarum? Respondemus: Caeremoniae praecipue stricte liturgicae, de quibus Instructio, sunt Missa et Officium: id, sicut in ceteris functionibus, ita in his Solemniis comprobatur, quod demonstratione profecto non indiget.

Quod denique spectat reliquas functiones, eae nullimode dicendae sunt vetitae quamvis stricte vel etiam late liturgicae haberi nequeant, sed tantum ecclesiasticae; at in casu non erunt Solemnia, quae indulget S. R. C. Tandem brevi S. R. C. quaevis incerta declarabit.

IMPRIMATUR

P. Fr. Albertus Lepidi O. P. S. P. A. Magister.

IMPRIMATUR

Ioseph Ceppetelli Archiepiscopus Myren. Vicesgerens.

Proprietas Literaria.

G.B. Agnolucci, gerente responsabile

Roma — Tip. Partenopea. F.lli Amoroso, Campo Marzio, 46. int.

INDEX

CAPITUM ET ARTICULORUM CUIUSQUE MATERIAE

HUIUS XIV TOMI

Dubiorum liturgicorum solutio scientifica.

Pag.

E Budvicio Bohemorum. De cinerum benedictione separabili a Missa . . . 46

E Gallia. De approbatione et sigilli qualitate in Reliquiis 48

Ex Urbe. De sensu verbi *solemniter* in Missis defunctorum 49

Ex Opp. Vicario Segobricensi. De tempore quo Cereus paschalis manet accensus 50

E Dioec. N. De initiis Scripturae in officio reponendis 90

E Catania. De Diacono primo, Episcopo assistente cum stola 92

E Gallia. De festo Titulari haud in quibusvis Oratoriis et Ecclesiis integre celebrando 95

E Collegio Hispanico Urbis. De genuflexione ad Orationem in officio Vigiliae occurrentis in ieiunio Adventus 97

E Gallia. De iure ad primam Commemorationem in Vesperis 98

Ex Goritia. De Proprio Dioec. a S. Sede approbato, novis Decretis non amplius cohaerente . . 163

Ex Eystadio. De Missa exequiali prohibita, et de transferenda 164

Ex eodem loco. De Anniversariis late sumptis quibusdam in casibus . . 167

E Meta Surrentina. De nulla ratione considerandi doctoratum in sacris . . . 169

Pag.

E Rucupis in America Sept. De Ministrorum sacrorum inclinationibus in Missa solemni 171

Ex America Sept. De Missa votiva vetita festi transferendi quoad officium . 174

E Gallia. De non lucranda Indulgentia altaris privilegiati cum Missa de SS.mo Corde in semiduplici . 176

Ex eodem loco. De Missae de requie prohibitione in festo,cuiuss lemnitastrans fertur, ex defectu alterius Missae, an extendenda ad casum peculiarem . . . ibi

E Thuscia. De quibusdam consuetudinibus circa funus exequiale 222

Ex America Sept. De functionibus tridui Mai. Hebd. in Ecclesia parochiali, quae Sacramentum continuo non servat . . . , . . . 224

E Neapoli. De Missis in domo defuncti 225

Ex eodem loco. De Missa exequiali et lectis pro defuncto praesente in Ecclesia 226

E Rucupis in Anglia. De qualitate et commemorationibus Missae solemnitatis translatae 228

E Venetiis. De modo abrumpendi octavam, tempore Quadrag. indultam, in Dominicis 287

E Dioecesi Panormitana. De conditione Ecclesiarum et Oratoriorum publicorum, quae fuerunt et non sunt amplius Regularium . . 289

Ex Hollandia. De Missa lecta pro die obitus repetita 292

E Praga Bohemorum. De capite cooperto Archiepiscopi crucem sequentis . 294

E Neapoli. De colore vestis Concionantis in defuncti laudem 295

E Belgio. De ordine reverentiarum Celebrantis et Ministrorum in accessu et recessu a choro . . . 369

E Dioec. N. De ordine servando in imponendis Cineribus, ab Episcopo benedictis, eidem Episcopo, ab eoque recipiendis . . 372

E Dioec. Cameracensi. De Decreto super inibitione sonitus organorum in cantu Praefationis et Orationis Dominicae 374

Ex Hollandia. De anniversariis late sumptis . . . 376

Ex eodem loco. De festo unico et praecipuo Patroni a Regularibus celebrando . 417

Pag.

E Vico in Hispania. De sensu decreti Vicen. d. d. 3 Apr. 1900 419

Ex Urbe. De non canenda Missa Conventuali Dominicae Quadrag. in qua fit dupl. I cl. 421

E Missionibus exteris. De Rubrica circa primas Vesp. integras Dominicae Maioris 423

E Curenna. De occursu festi primarii et secundarii perpetuo 426

Ex Hispania. De iure quodam Episcopi Titularis cuiuscumque 427

Ex Utino. De genuflexione communicantium ad altare Sacramenti, dum ad aliud altare accedunt pro communione ab eoque recedunt 428

E Neapoli. De Missa de requie unicam Orationem vel plures habente . . 430

E Turonibus. De conclusione Orationis *Deus refugium* in precibus imperatis post Missam 474

Ex eodem loco. De officiis propriis Patronorum minus principalium quoad Regulares 476

Ex eodem loco. De festo Dedicationis Ecclesiae non propriae secundario . . 478

E Regio Lepidi. De annulo non vetito pro privilegiatis in functionibus ecclesiasticis 479

E Gallia. De ordinanda Missa in solemnitate translata et dupl. I cl. occurrentibus 483

E Sardinia. De Canonicorum choro assurgente et resalutante Celebrantem, a quo salutatur 485

E Belgio. De choro stante ad intonationem antiphonarum 487

Ex Hollandia. De modo ducendi thuribulum . . . 551

E Turonibus. De Epistola et Evangelio Missarum pro Mart. Pontifice et non Pont. ad libitum vel non 555

E Venetiis. De capite aperto Archiepiscopi, Cruce ante se praeeunte 560

E Senogallia. Super Credo recitando in Missa de infra octavam extra recitatum officium 561

E Bohemia. De lege primarii et secundarii festi semiduplex afficiente . . 564

Ex Urbe. De convenientia Missae cum officio . . 565

Pag.

Ex Hispania. De hymno angelico in Missa votiva B. M. V. infra octavam eiusdem 606

E Smirna. De lectionibus I Noct. in officio duplicis maioris ritus 607

E Castello Saltus Rotundi. De Missae privatae defunctorum qualitate in semiduplici 610

E Civitate Castelli. De festo Titularis Ecclesiae in alia peragendo 614

E Civitate N. De duobus Decretis, quae iniuste incohaerentia dicuntur . . 615

E Dioec. Baionensi. De rubricae et Decreti cuiusdam supposita contradictione inter se 617

E Galliis. De duarum Rubricarum intelligentia . . 647

E Castello Saltus Rotundi. De translatione festi S. Agnetis ob oct. S. Hilarii Titularis 648

E Turonibus. De concursu inter officia votiva locorum propria 649

Ex eodem loco. De die propria festi Titularis SS. Nominis Iesu 652

Ex eodem loco. De lect. III Noct. in die octava Dedicationis 653

Pag.

Ex Missionibus. De hymnorum coniunctione . . . 654

E Gallipoli. De iure benedicendi fontem baptismalem in Eccl. Capitulari, curam animarum non habente 693

E Vico. De modo ordinandi Calendarium in Eccl. parochiali 695

E Velika Kopanica. De die oct. festi primarii non impedita a dupl. mai. secundario 697

Ex eodem loco. De initio Scripturae currentis impedito et anticipato . . . 698

E Viterbio. De sepultura in parietibus Ecclesiae . . 699

Ad quaedam liturgica dubia breviora responsa.

1. Pro Milwanchia in America 53
2. Pro eodem loco . . . ibi
3. Pro Polonia . . . . ibi
4. Pro Tiferno 54
5. Pro Lincio . . . . . ibi
6. Pro oppido Vivario Segobricensi 55
7. Pro eodem loco . . . 56
8. Pro Aretio in Thuscia . ibi
9. Pro eodem loco . . . 57
10. Pro eodem loco . . . ibi
11. Pro Parisiis . . . . ibi
12. Pro Hollandia . . . ibi
13. Pro eodem loco . . . 58

	Pag.
14. Pro Petrovaradino in Slavonia	102
15. Pro Oppido Vivario Segobricensi	ibi
16. Pro eodem loco	103
17. Pro eodem loco	ibi
18. Pro eodem loco	ibi
19. Pro eodem loco	ibi
20. Pro Locogiaco in Dioec. Pictaviensi	104
21. Pro Motyca Syracusarum	ibi
22. Pro eodem loco	ibi
23. Pro eodem loco	105
24. Pro eodem loco	ibi
25. Pro eodem loco	ibi
26. Pro eodem loco	ibi
27. Pro eodem loco	106
28. Pro Rota Veronae	ibi
29. Pro eodem loco	ibi
30. Pro America Sept.	ibi
31 Pro oppido Vivario Segobricensi	ibi
32. Pro eodem loco	107
33. Pro eodem loco	ibi
34. Pro America Septentrionali	178
35. Pro Senogallia	179
36. Pro eodem loco	ibi
37. Pro variis locis	180
38. Pro Goritia	ibi
39. Pro Lincio	182
40. Pro eodem loco	183
41. Pro Motyca Syracusana	ibi
42. Pro Senogallia	ibi
43. Pro Cherio	231
44. Pro Rucupis in America Sept.	233
45. Pro America Meridionali	235
46. Pro eodem loco	236
47. Pro eodem loco	ibi
48. Pro Rucupis	ibi
49. Pro Neapoli	ibi
50. Pro eodem loco	237
51. Pro eodem loco	ibi
52. Pro Utino	ibi
53. Pro eodem loco	ibi
54. Pro Senis	298
55. Pro eodem loco	ibi
56. Pro Lincio	ibi
57. Pro eodem loco	ibi
58. Pro eodem loco	299
59. Pro Hollandia	300
60. Pro eodem loco	ibi
61. Pro oppido Vivario Segobricensi	ibi
62. Pro eodem loco	ibi
63. Pro eodem loco	ibi
64. Pro eodem loco	301
65. Pro Praga Bohemor	ibi
66. Pro eodem loco	ibi
67. Pro Hispania	ibi
68. Pro Motyca Syracusana	302
69. Pro Gallia	ibi
70. Pro Utino	303
71. Pro Eystadio	377
72. Pro Gallia	ibi
73. Pro Rucupis in America Sept.	378
74. Pro eodem loco	379
75. Pro eodem loco	ibi

	Pag.
76. Pro eodem loco . . .	ibi
77. Pro Gallia	ibi
78. Pro eodem loco . . .	380
79. Pro Gallia	381
80. Pro eodem loco . . .	ibi
81. Pro Neapoli	382
82. Pro Londino	ibi
83. Pro Turonibus . . .	383
84. Pro eodem loco . . .	ibi
85. Pro America Sept. (Roffa)	433
86. Pro eodem loco . . .	ibi
87. Pro eodem loco . . .	ibi
88. Pro Hollandia . . .	434
89. Pro Gallia	ibi
90. Pro Corleone . . .	ibi
91. Pro N. N.	435
92. Pro Utino	437
93. Pro Hollandia . . .	ibi
94. Pro Turonibus . . .	489
95. Pro eodem loco . . .	490
96. Pro Regio Lepidi . .	ibi
97. Pro Hollandia . . .	491
98. Pro Gallia	ibi
99. Pro Hispania . . .	492
100. Pro Turonibus . . .	567
101. Pro Baiona	ibi
102. Pro eodem loco . .	ibi
103. Pro Valle Neti in Siciiia	619
104. Pro Castello Saltus Rotundi	ibi
105. Pro eodem loco . .	ibi
106. Pro eodem loco . .	ibi
107. Pro Budvicio Bohemorum	620
108. Pro Baiona	ibi
109. Pro eodem loco . .	ibi
110. Pro Gallia	456
111. Pro eodem loco . .	657
112. Pro eodem loco . .	ibi
113. Pro Lannes in Gallia	ibi
114. Pro Abbatia S. Bernardi in Boruhem	ibi
115. Pro Turonibus . . .	658
116. Pro Missionibus . .	ibi
117. Pro Baiona	ibi
118. Pro Liguria	ibi
119. Pro Catana	659
120. Pro Gallia	ibi
121. Pro eodem loco . .	ibi
122. Pro Vico	ibi
123. Pro Lannes	660
124. Pro Calari in Sardinia	701
125. Pro Lannes in Gallia	702
126. Pro Hollandia . . .	ibi
127. Pro Turonibus . . .	703
128. Pro Massilia . . .	ibi
129. Pro Vico	ibi
130. Pro Zagabria . . .	704

Decreta SS. Congregationum.

EX S. RITUUM CONGREGATIONE

Urbis et Orbis. De festi S. Bedae extensione . .	5
Minoricen. Dubia varia . .	7
Die 9 Nov. In Dedic. Archibas. SSmi Salvatoris, additio ad VI Lectionem Breviario Rom. inserenda	10
Urbis et Orbis. De Sacramenti expositione ineunte anno MCM	67

Pag.
Decretum de Beatificatione Ven. Clet. 196
Vicen. I. Circa Decretum *Aucto* 257
Vicen. II. De veste Magistri Caeremoniarum violacea 258
Ritus et formula benedictionis atque impositionis Scapularis Sacri Cordis Iesu 262
Decretum supra Scapulari SS. Cordis Iesu . . . 262
Ritus et formula Benedictionis atque impositionis Scapularis SS. Cordium Iesu et Mariae 263
Decretum supra Scapulari SS. Cordium Iesu et Mariae 265
Ordinis Minorum S. Francisci. Circa officium Patroni 266
Novarien. De benedictione Fontis baptism. et de defunctorum suffragiis in Dominicis 453
Ordinis Minorum S. Francisci. Dubia varia . . . 455
Tirasonen. Dubia varia . . 458
Pragen. Dubia varia . . 526
Dubia 528
Parentin. et Polen. De officio et Missa de Octava Nativitatis 529
Urgellen. Dubia varia . . 530
S. Iacobi de Venezuela. Dubia varia 534
S. Severini. Die S. Ioseph cuinam spectet celebrare Missam pro Episcopo absente . . . . . ibi
Lauden. seu Congr. Clericorum Regularium S. Pauli Barnabitarum 536
Fanen. Dubia varia . . . 538
Ordinis Minorum S. Francisci. Dubia varia . . . 589
Dubium de usu linguae slavicae in sacra liturgia . 591

Ex S. Congr. Indulgentiarum.

Suspensio Indulgentiarum et Facultatum vertente anno Universalis Iubilaei Millesimo Noningentesimo . 58
Indulgentiae pro personis privilegiatis 62
Urbis et Orbis. De regulis seu normis ad dignoscendas veras Indulgentias ab apocryphis 124
Augustana. Dubia varia. De Confraternitatibus a SS. Rosario nuncupatis . . 251
Trevirensis. De extensione indulgentiarum Ps. *Exaudiat* ad Tertiarios saeculares S. Francisci Assisiensis 255
Decretum circa facultates Sacerdotum iter transmarinum facientium . . . 634

Pag.

Ex Suprema Congregatione Inquisitionis.

De facultate dispensandi ab impedimento clandestinitatis per Ordinarios . . 245
De operatione caesarea casus 246
De Ordinariorum facultatum extensione ad omnes Superiores 249
De Regularium confessione per Superiores . . . . ibi
De sanatione in radice cuiusdam matrimonii . . 401

Ex S. Congregatione Concilii.

Suspensio pro Sacerdotibus politicis factionibus mancipatis 587

Ex S. Congregatione Episcoporum et Regularium.

De praecedentia Tertiariorum in processionibus . 635

Ex Sacra Poenitentiaria.

De facultatibus Poenitentiariorum minorum ut in Litteris Apostolicis „Quoniam divinae„ 402
Declaratio quorundam Monitorum ex Constit. Benedicti XIV excerptorum circa Iubilaei acquisitionem 403
Item 523
De facultatibus Confessariorum. Dubia circa suspensionem facultatum et indulgentiarum durante anno iubilari proposita a Patre Terrae Sanctae Custode 586

Pag.

Quaestiones Academiae Liturgicae Romanae.

I. De Eucharistia morituro delata per Diaconum . 11
II. De ratione vestiendi cadaveris Sacerdotis illiusque sepeliendi 70
III. De associatione cadaveris 133
IV. De Missa exequiali ac privatis de requie . . . 197
V. De Missa exequiali atque oratione funebri . . . 270
VI. De Missa exequiali privata pro defuncto paupere 359
VII. De absolutione . . . 405
VIII. De sepultura cadaveris 461
IX. De diebus III, VII, et XXX 539
X. De Missa post acceptum nuntium obitus . . . 592
XI. De Anniversariis . . 637
XII. De officio solemni de requie extra dies privilegiatos 685

Quaestiones solvendae Sociis propositae pro singulis mensibus, earumque solutiones.

1. Animadversio ad solutionem quaestionis de Missa de Requie cum cantu, bis vel ter infra hebdomadam

Pag.

indulta extra Octavas privilegiatas, infra hebdomadam Nativ. D.ni . . . 30

Responsio huic animadversioni 193

2. Festum duplex 1. cl. celebrandum ex Indulto in Dominica proxime sequenti, impeditum per accidens potestne eo anno recoli in die sua propria, seu anticipari? 82

3. Locus Cruciferi in absolutione pro defunctis dependetne a positione cadaveris vel cenotaphii, an non? E Sacra Archaeologia, e Rubricis, ex Expositoribus, e sensu liturgico potestne aliquid erui? . 143

4. Episcopo solemniter celebrante, quinam sit ordo, uti et ratio dandi pacem inter ministros sacros, collatis inter se Rubricis Caerem. Episc. Lib. I. Cap. 24 N. 3 et 4, ac Decretis 210

5. Color paramentorum in universis functionibus ecclesiasticis est ne praeceptivus? Quid de rosaceo, caeruleo aut flavo? . . 352

6. Vesperae in Sabbato ante Dominicam Pass., cum in eo actum fuerit Officium votivum de Immac. Conc. B. M. V. esse ne debent de praecedenti usque ad Capitulum, an potius de Sabbato 396

7. De genuflexione ante Sacramentum quando eodem in loco manendum est . 446

8. Missa de requie in Oratorio privato domus, in qua aliquis decessit, potestne quotidie fieri, usque dum cadaver in Ecclesiam deferatur? 519

9. Ad nomen alicuius Sancti, quod pronuntiatur in Missa, si ille Octava gaudeat, debetne caput inclinare Celebrans, quando Octavae commem. omittenda est, ratione ritus festi occurrentis, puta dupl. II cl.? 582

10. Protonotarii Apostolici ad instar possuntne, uti Pontificalia Missarum, ita Vesperarum Pontificalia, aliarumque minoris gravitatis functionum Pontificalia agere 628

11. Quid dicendum de sententia cuiusdam auctoris liturgici, qui docet obligatum ad horas canonicas, cum solus officium recitat, non posse dicere in benedictione Lectionum, Iube

Pag.

Domne; sed dicere debet Iube Domine 679

Alleluia. Specimen biblicum, historicum, liturgicum.

Continuatio 107
Continuatio 238
Continuatio 390
Continuatio et finis . . . 500

Indumenta liturgica in Ecclesia Latina. Commentaria critico-historica.

Prooemium 117
I. Amictus seu Humerale . 120
Continuatio 305
II. Alba 385
Continuatio 494

Argumenta Varia.

Omina 5
Casus circa festum Titul. et Dedic. Eccl. Parochialis mutatae 112
De singulari casu Missae concelebrationis 184
Ampliores declarationes super duobus dubiis in num. 3. volv. anni resolutis . 312
Quaestio liturgica. De octava pereunte vel non Sancti Titularis extra suam diem celebrati 314
Specimen calendarii universalis Ecclesiae pro anno D.ni 1901 321

Pag.

Quaestio super qualitate Calendarii in quadam abbatiali et parochiali Ecclesia adhibendi 332
Super lectionibus I noct., in translatione S. Ianuarii . 340
Quaestio liturgica de sensu Missae solemnis pro defunctis et unica Oratione 346
Super Cruce Altaris. Monitum 357
De ignoto Oratorii publici Titulari a quo et quomodo recolendo. Peculiaris quaestio 438
Difficultates quaedam super prima Commemoratione in Vesperis 505
Super Pontificalibus quaestio 568
Eventus liturgicus et animadversiones 621
De Missis coram Sacramento exposito vi Caerem. Episc. Dissertatio . . . 660
Animadversiones super diversis sententiis a Dom. Ios. D'Adamo propugnatis . 672
De plurium diversitate Commemorationum ex eodem Communi animadversiones 705
Animadversiones de colore vestium Reliquias gestantium 712
De solemniis Beatificationis et Sanctificationis quaestiunculae 713

INDEX ALPHABETICUS

RERUM NOTABILIUM QUAE IN HOC XIV CONTINENTUR.

(N. B. Numerus lectorem ad paginam remittit)

A

Absolutio super cadavere, de absolutione super cadavere casus, 405 — unde absolutionis super cadavere *nomen et origo*, 406 — *Celebranti ius et onus competit* illius persolvendae, 409 — quomodo disponendum *cenotaphium*, 411 — locus facientis officium et Cruciferi *semper manet determinatus ad pedes defuncti* seu realis seu figurati, sicuti locus Cruciferi *ad eius caput*, 412 — de cadaveris *praesentia phisica vel morali*, 413 — locus Cruciferi *semper idem erit in absolutione ad tumulum* tam pro laicis quam pro sacerdotibus, *quandocumque cadaver erit simpliciter absens*, 414 — quid iudicandum de reliquis ut in casu et de absolutione per Abbatem, *qui Missam non cantavit*, 415 — Vide verbum *Crucifer* ubi quaestio de loco ubi *Crucifer* stare debet in absolutione longe lateque exagitatur. Confer etiam verbum *Cadaver*.

Acolythi, tempore Missae solemnis acolythi, nisi quid agere debeant, *apud abacum stent aut genuflexi maneant, nunquam vero sedeant*; ad vesperas solemnes *psalmorum tempore sedere possunt*, 493 — V. *Thuriferarius*.

A Cunctis, haec oratio die 31ª Oct. ubi fit de festo sub ritu semid., *nulla ratione mutari potest in aliam de Spiritu Sancto*, 53.

Agnes (S.), V. *Commemoratio S. Hilarii.*

Alba, V. *Indumenta liturgica, Color.*

